A. D. 1909. Nr. VIII.

CURRENDA

Rekolekcye kapłańskie

odbędą się w tym roku:

W Nowym Sączu w klasztorze W. OO. Jezuitów od 5. lipca (wieczorem) do 9. lipca (rano).

W Tarnowie w Seminaryum duchownem od 21. września (wieczorem) do 25. września (rano).

Mający brać udział winni się zgłosić pisemnie kilka dni wcześniej do Rektoratu OO. Jezuitów w Nowym Sączu, względnie do Rektoratu Seminaryum duchownego w Tarnowie.

AN PAROCHUS HABEAT IUS EXCLUSIVUM ADMITTENDI PUEROS AD PRIMAM COMMUNIONEM.

Facti series. Praepositus generalis Scholarum Piarum a S. Sede declarari postulavit nihil obesse quominus proprii Religiosi possint in propriis ecclesiis vel sacellis solemniter pueros vel discipulos tam internos quam externos ad primam Communionem admittere. Nam, etiamsi a primordiis institutionis Ordinis ea fuisset constans praxis admittendi in propriis ecclesiis alumnos ad primam Communionem cum plausu proprii dioecesani et etiam parochi, nihilominus haud semel invenitur aliquis parochus vel etiam Episcopus, qui contradicat et adhuc prohibeat hanc solemnitatem. In Hispaniis insuper habetur Rituale proprium a. S. C. Rituum approbatum ad ritum primae Communionis complendum ea solemnitate, aedificatione et spirituali fructu, quod iam traditionale habetur. Haec quaestio proposita fuit dirimenda cum Consultoris voto.

Dubium. An et quomodo Clerici regulares Scholarum Piarum ius habeant admittendi ad primam Communionem alumnos tam iternos quam externos suarum scholarum, in casu.

Resolutio. Emi Patres S. C. Episcoporum et Regularium in plenariis comitiis die 14. Martii 1908 responderunt: Affirmative [1]).

[1]) Nemo profecto in dubium vocare potest ius parochorum quoad primam Communionem suorum parochianorum; agitur enim de iure quod nititur gravi obligatione qua tenentur parochi curandi vitam

S. CONGREGACIO S. OFFICII.

De usu inserendi numismata coronis B. M. V. loco granulorum maiorum.

Beatissime Pater.

P. Thomas Ioseph a divina Providentia, societatis divini Salvatoris, ad pedes S. V. provolutus, humillime exponit ut sequitur:

Ab aliquo tempore invaluit usus inserendi coronis B. M. V. loco granulorum, quae *Pater noster* designant, parva numissmata B. M. V. Quaeritur a multis fidelibus, utrum hic usus obstet lucro indulgentiarum. et utrum retineri possit, an non?

Et Deus etc.

Die 13 Martii 1909.

S. Congregatio S. Officii respondendum censuit, *uihil esse innovandum.*

A. Can. GIAMBENE, *Substitutus pro Indulgentiis.*

---

aeternam fidelium ipsorum curae commissorum non solum divini verbi praedicatione sed praeterea sacramentorum etiam administratione. Hinc Pius X. litteris ad Emum Urbis Vicarium datis die 12. Jan. 1908 (Cfr. Acta S. Sedis, vol. 37, pag. 425) in memoriam revocat hanc parochorum obligationem atque Urbis parochis praescribit: „che in tutti gli anni ed in ogui parrocchia sia fissato... il tempo per la istruzione ed insieme il giorno solenne per la prima Communione, facendo precedere questo di da un esame, in cui i giovanetti dieno prova di essene convenientemente istruiti, e dalla preparazione di tre giorni sempre in parrocchia". At exinde argui nequit ius exclusivum parochorum admittendi pueros ad primam Communionem: nulla enim lex generalis Ecclesiae hoc ius illis contulit. Antiqui scriptores, quando loquantur de iuribus parochorum, inter haec nullimode recensent ius administrandi primam Communionem. Cfr. Reiffenstuel (Ius canonicum, lib. 3, tit. 29). Nonnisi circa medietatem saeculi elapsi loqui incoeptum est de hoc exclusivo iure parochorum uti habetur apud Bouix (De iure Regul., tom. 2, quaest. 12, pag. 210). Nunc vero non desunt doctores docentes hoc esse ius privativum parochorum, e. gr. Berardi (Theol. part. seu de parocho, n. 758), et magis absolute Sebastianelli (Prael. iuris can., de personis, n. 277); sed generatim doctoris qui post medietatem saeculi elapsi scripserunt vel nullimode loquuntur de hoc iure exclusivo parochorum vel hoc ius admittunt multis limitibus circumscriptum. Sunt etiam doctores qui tradunt hoc ius exclusivum parochorum esse de iure particulari seu consuetudine vel statutis synodalibus in aliqua religione inductum: ita Brabaandère (Compendium iuris can., tom. 1, n. 471), Bargillat (Prael. iuris. can., n. 922), Wernz (Ius Decret., tom. 2, n. 830), Card. Gasparri (De SS. Eucharistia, n. 1073), Piat (Prael. iuris Regul., tom. 2, part. 5, cap. 2, quaest 8) et Bouix (loc. cit.) Caeterum Catechismus romanus tradit: „Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata", ubi nec mentio fit de parocho. Congruenter S. C. Concilii die 15. Martii 1851 reformavit quemdam articulum Concilii provincialis Rothomagensis hoc modo: „Nemo ad sacramentum Eucharistiae prima vice suscipiendum admittitur, qui nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habeat, iudicio praesertim parochi ac sacerdotis, cui peccata puer confitetur". Idem habetur ex Concilio Latino Americano, quod n. 258 statuit: „Qua vero aetate pueris Sacra danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos cui confitetur peccata, ad illum enim pertinet explorare et a pueris percunctari an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint". Cfr. Benedictus XIV. (de Syn. dioec., lib. 7, cap. 11, n. 2), et supra citatae litterae Pii X. ad Emum Urbis Vicarium. Hinc infertur nedum non esse ius exclusivum parochorum admittendi pueros ad primam Communionem, verum etiam haud esse exclusivum parochorum ferre iudicium de idoneitate pueri ad suscipiendam primam Communionem. Nihilominus in praxi standum est locali consuetudini a legitima auctoritate approbatae, salvis tamen exemptionibus ac privilegiis quae S. Sedes concessit Ordinibus religiosis aliisque collegiis ad iuventutis institutionem destinatis, uti in casu de quo agitur.

S. CONGREGATIO RITUUM.

I.

Utrum usus celebrandi super altaribus, quorum mensa ex pluribus lapidibus constat continuari possit.

Rmus Dnus Franciscus Isola, Episcopus Concordien., in visitatione pastorali reperit quaedam altaria consecrata uti fixa, quorum mensa ex pluribus lapidibus simul iunctis constat, aliqua vero similia cum mensa item ex pluribus partibus composita, sed in cuius medio extat lapis quadratus in quo reconditae sunt sacrae reliquiae, vulgo pietra sacra; alia demum consecrata uti fixa quorum mensa in medio nititur super basi ex muro, vel ex coctis lateribus quae in centro continent sacras reliquias. Quare idem Rmus Episcopus a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

An continuari possit usus celebrandi super dictis altaribus?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo perpensa ita rescribendum censuit.

I. Quoad altaria priora pro gratia sanationis dummodo sepulchrum sit integrum ex lapide.

II. Quoad altaria secundo loco descripta Orator acquiescat.

III. Quoad postrema, infra tempus iudicio ipsius Episcopi determinandum eadem ad normam iuris reducantur, vel per parvum lapidem consecratum, vel (si nullum in ecclesia consecrata sit altare fixum), per totius mensae cum stipitibus consecrationem. Atque ita rescripsit, declaravit atque indulsit.

Die 13 Novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *secretarius.*

II.

DECRETUM

praepositum typicae editioni vaticanae Officii defunctorum cum cantu gregoriano.

De mandato SSmi Dni nostri Pii Papae X., sacra Rituum Congregatio declarat ac statuit praesentem Officii defunctorum editionem vaticanam, quae cantum gregorianum exhibet, ab ipso SSmo Dno nostro feliciter restitutum, ut authenticam ac typicam habendam esse, atque ab omnibus Romanae Ecclesiae ritu utentibus in posterum observandam. Quaevis ideo eiusdem Officii nova editio, typis evulganda, huic adamussim conformis esse debet. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Maii 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *praefectus.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *secretarius.*

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS.

Parmen. et aliarum. De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminente mortis periculo.

Ante editum decretum *Ne temere* die II. mensis augusti anno MDCCCCVII. *De sponsalibus et matrimonio*, satis iam fuerat eorum necessitati provisum, qui miserrime in concubinatu viventes iidemque in gravissimo mortis periculo constituti, impedimento aliquo matrimonium dirimente prohiberentur, quominus rite nuptias inirent. Nam per litteras S. Officii datas die XX. mensis februarii anno MDCCCLXXXVIII., et per sequutam declarationem die IX. mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIX., facultas Ordinariis concedebatur, quae parochis etiam subdelegari habitualiter posset, dispensandi in iis adiunctis ab impedimentis quoque publicis matrimonium ecclesiastico iure dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Cum autem in art. VII. praefati decreti *Ne temere* sancitum fuerit, »imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide et licite posse coram quolibet sacerdote et duobus testibus«; Ordinarius Parmensis ac plerique aliorum locorum Ordinarii a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum postularunt, ut, etiam hoc in casu, animarum saluti consuleretur, si forte dirimens aliquod impedimentum obstaret quominus matrimonium rite contraheretur.

Re mature perpensa in Congregatione generali diei VII. mensis maii anno MDCCCCIX, et relatis omnibus SSmo D. N. Pio divina providentia Papae X., in audientia habita ab infrascripto eiusdem S. Congregationis a secretis die IX. mensis maii anno MDCCCCIX., Sanctitas Sua, benigne excipiens votum Emmorum Patrum, declarare dignata est ac decernere, quemlibet sacerdotem, qui ad normam art. VII. decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita.

Datum Romae ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die XIV. mensis maii anno MDCCCCIX.

D. Card. FERRATA, *praefectus*. Ph. GIUSTINI, *a secretis*.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 18. czerwca 1909.

X. Władysław Chendyński
Kanclerz

† LEON
BISKUP.

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Drukiem Zygmunta Jelenia w Tarnowie.